





6. 7

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
QVÆSTIONE IVRIS:  
AN ET QVATENVS  
ACCEPTATIO NECESSARIA  
SIT IN DONATIO-  
NIBVS?

QVAM  
IN PERANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI  
EX CONSENSV ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS,  
PRÆSIDE

DN. HIERONYMO FRIDERICO  
SCHORCHIO, ICTO,

COM. PALAT. CÆSAR. IVRID. FACVLT. ASSESS. ET H. T. DECANO,  
INSTITVT. PROF. PVBL. ORDIN. NEC NON CIVITAT.  
CONSVLÆ,

PRO CONSEQVENDIS PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

A VTOR

JO. GEORG. FRANCKENBERGERVS,  
SVEVOFVRTENSIS.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAJORIS H. C.  
DIE XIX. SEPTEMBER. A. O. R. MDCCXLI.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

DISERTIO PRAELECTIO JURIDICA

DE

QUESTIONE JURIS

AN ET QUATENUS

ACCEPTATIO NECESSARIA

SIT IN DONATIO-

NIBUS

QUAM

IN PRAESENTIA AUCTORITATIS UNIVERSITATIS

ERFORDIENSIS

EX CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

RESIDE

DN. HIERONYMO FRIBERICO

SCHORCHIO, Icto.

COM. FACULT. IURID. FACULT. ABESS. ET H. T. DECANI  
INSTITUT. PROM. IURID. ORDIN. NEC NON CIVITAT.

CONVALE

PRO CONSEQUENDIS PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS

PRAELECTIO AUCTORITATE UNIVERSITATIS

AUTOR

JO. GEORG. FRANKENBERGERVS

RECTOR

IN ACADEMIA IURIDICA COLLEGII MAIORIS H. C.

DIE XIX. SEPTEMBR. A. R. MDCCLXXI.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Aed. Typogr.





## P R Æ F A T I O.



**I**N foro decem ferè, & quod excedit, annos versanti, cum alioquin varias causas orare, adhuc plures autem inspicere mihi licuerit, nulla tamen obtigit ex donationum jure defendenda. Ratio hæc est in proclivi: omnes enim ad accipiendum, quam ad dandum sumus faciliores, ut non jocosè minus, quam verè dictum sit illud *BAVDII Cent. 2. Ep. 53.* titulos juris de donationibus senio & usu obsolevisse. Sed nuper admodum oblatus mihi fuit ejusmodi casus, in quo singularia nonnulla occurrere mihi visâ sunt, causarum patronorum attentione non indigna. Hâc re motus speciminis inauguralis locò quali quali hâc disserta-

tionem excutiendam mihi sumsi quaestionem  
 juris: AN ET QVATENVS IN DONATIO-  
 NIBVS NECESSARIA SIT ACCEPTATIO?  
 Et ne omnis exulet ordo, in sectione *priori*  
 proponentur, quæ in regula de acceptationis  
 illius necessitate dicenda sunt, in *posteriori* autem  
 subsequenter limitationes sive exceptiones, cui  
 in fine coronidis locò annectetur casus ipse, de  
 quo mentionem injeci. Faxit Numen divi-  
 num ut feliciter!

SECT. I.

§. I.

**Q**uid sit donatio, quid acceptatio, cum ambæ hæ  
 notiones jam ex vocabulis satis pateant, ver-  
 baliter definire superfedeo, ne commentatorum  
 scrinia expilasse videar. Ad rerum ergo argumenta po-  
 tius accingor. Ubi ab initio statim præmonendum  
 venit, simplicissimam illam donationis speciem, quæ  
 donatoris traditione & donatarii acceptatione in in-  
 stanti perficitur, parum ad rem attingere; alteram ve-  
 rò, quæ per conventionem constituitur, omne hic fer-  
 re momentum.

§. II.

Tralatitium autem est, si de jure naturali fiat in-  
 spectio, omnem pactorum & promissionum vim obli-  
 gandi in mutuo promittentis & acceptantis consensu

con-

consistere, & prius, quam is, in quem res vel jus aliquod conferri debet, consensum suum de acceptando declaraverit, firmum juris vinculum non nasci. Causa igitur, ut ait THOMASIVS in *Jurispr. div. L. 2. cap. 7. §. 6. & 7.* proxima constituendi pactum est consensus, isque mutuus, etiamsi ipsum pactum non sit mutuum, aut quod idem est, etiamsi promittens se tantum ex sua parte ad aliquid præstandum obligaverit, nec ab altero, cui promissio fit, vicissim quid expectet. Negotium hoc, ut ita dicam, unilaterale, quò soli promissario res vel jus aliquod acquiritur, recte denominamus donationem ac promissionem gratuitam; consensum autem promissarii de re vel jure sibi promisso accipiendo acceptationem. Simulque ex his dictis patet, quòd, quàm diu promissio à promissario non est acceptata, causæ nihil sit, cur promittenti non liceat mutare consilium & voluntatem. Nam ille, qui alteri quid pollicetur, invito ipsi quid obtrudere certè non vult, sed beneficio eum sibi obstringere intendit, quod cum negligi ab altero videt, rem vel jus promissum non pro derelictis habere, sed retinere censendus est.

Consensus verò declaratur vel verbis vel factis, adedque dicitur vel expressus vel tacitus. Subdivisio posterioris in tacitum in specie & in præsumtum, quam communiter, afferunt, est superflua. Omnes enim, quos ad classem consensus præsumti referunt, casus, facili negotiò vel ad facta consensus fati declarantia reduci possunt, vel tantum redeunt ad officia humanitatis & gratitudinis, quibus demum ex jure civili jus

per-

A 3

per-

perfectum adjectum est; exemplum est in gestione negotiorum. Sicubi igitur talia facta occurrant, unde de alterius consensu non liquidò vel saltem admodum probabiliter constet, frustra, si dicendum, quod res est, recurritur ad præsumptiones. Aliam ergò præter expressam vel tacitam acceptationis speciem admitterendam esse nego, ut jure meritòque rejiciantur illæ, quas vulgò crepant, næniæ: in gratuitis & favorabilibus acceptationem præsumi. Acceptatio siquidem est facti, & nisi ex factis de illa satis certi esse possumus, ausu inani præsumitur, ut non satis mirari queas illorum temeritatem, qui, ut iudicibus glaucoma objiciant, nuda sua phantasmata pro præsumtionibus venditare confueverunt. Sub factis autem comprehenduntur quoque facta in sensu negativo: conf. infra §. 8.

## §. IV.

Illud tamen nihil refert, siue acceptatio præcedat, siue sequatur promissionem. Antecedens enim rogatio durare intelligitur, & vim habet acceptationis, dummodò petitioni respondeat postmodum promissio. GROTIUS de J. B. P. lib. 2. tit. 11. §. 14. Neque interest, siue illa fiat ab ipso donatario, siue nomine illius ab alio; sufficit, si de consensu ejus ex mandato vel alio signo extet indicium. Sed quid dicendum erit de acceptatione alterius pro tertio ignorante? Valeat utique, si postmodum tertius ille ignorans promissum acceptat. Et, ne promittens, dum acceptatio illius sequatur, penitere possit, obstat illi acceptatio & jus quæsitum, quod contulit in istum promissarium intermedium, cujus non potest non interesse, ut tertium illum beneficio sibi obliget.



obliget. Quam primum autem tertius ille promissum respuit, cadit etiam jus quæsitum acceptantis intermedium. conf. GROTI. *cit. loc. §. 18. Perill. de WERNH. P. 1. Obs. 132.* ubi GROTII sententiam contra aliorum objectiones strenuè vindicat & latius explicatam dedit. Jus Romanum quidem ab his divortium facit, cum stipulationes & obligationes ad hoc tantummodò inventas esse, tradit, ut unusquisque acquirat sibi quod suâ interest: §. 18. *Inst. de inutil. stipular.* At enim verò cordatiores omnes fateri necesse habent, moribus nostris & jure, quò utimur, universam pactorum & stipulationum materiam ad pristinam juris naturalis faciem revocatum esse. Et hæc sufficiant de acceptationis necessitate in donationibus de jure naturali.

§. V. Videndum jam est, quid circa illam obtineat ex placitis juris Romani. Donationem etiam absque donatarii acceptatione fieri posse, existimat RAVCHBAR *p. 1. qu. 32. num. 103.* Nec non Ill. Cancellarius de LVDEWIG peculiari dissertatione an. 1721. Hæc habitâ contendit, ut donatio valeat, neque jure naturali, neque Romano acceptationem requiri. Sed hanc opinionem meritò explofit GYNDLINGIUS in *Gundlingianis P. 29. Obs. 2. sequ.* conf. LEYDER. *Spec. 433. medit. 8.* Contrarium enim aperte evincitur *L. 55. ff. de obl. & act. verbis: in omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium; nam sive ea venditio, sive DONATIO, sive conductio sive quælibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, perducitur ad effectum id, quod inchoatur, non potest.* add. *L. 10. L. 26. ff. de donat.*

*nat.* Nec obstat, quòd Imperator §. 2. *Inst. de donat.* per-  
 fici dicat donationes, cum donator suam voluntatem  
 scriptis aut sine scriptis manifestaverit. Unius enim  
 positio non est alterius negatio, & locus iste ex aliis sup-  
 pleri debet. add. STRYK. *Us. mod. ff. tit. de donat. §. 3.*  
 LEYSER. *cit. loc. LAVTERB. Coll. Th. Pr. tit. de donat. §. 7.*  
 §. VI. Differentia igitur, quod ad necessitatem acceptatio-  
 nis, inter jus naturale & civile intercedit nulla. Et quæ  
 dixi, amplianda sunt, sive donatio sit inter vivos, sive  
 mortis causâ, simpliciter & purè vel sub conditione ac  
 modo, aut ex tempore, revocabiliter aut irrevocabiliter,  
 ex mera liberalitate vel remunerandi causâ facta. Nul-  
 libi enim in tantum inter varias has donationum spe-  
 cies à jure nostro distinguitur, ergo nec nos distinguere  
 debemus. Quin potius in diversis istiusmodi specie-  
 bus eò magis necessitas hæc acceptationis in oculos in-  
 currit, quòd sæpius donatores liberalitatem suam per va-  
 rios modos atque conditiones ita restringere solent, ut  
 honoratus tanti poenitere non emat, sed abstinendum  
 quàm acceptandum sibi satius esse putet, ut verum uti-  
 que sit, quod communiter ajunt, donationem neque in-  
 vitro neque ignoranti acquiri. LAVTERB. *cit. loc. §. 8.*  
 §. VII. Ut autem acceptatio à donatario ipso aut in instan-  
 ti & verbis expressis fiat, id nec præcisè opus est de ju-  
 re civili. Sicut enim in cæteris contractibus per man-  
 datarios, per ministros & per quos alioquin nobis ac-  
 quirì solet, nec non ex intervallo & per facta, nisi natu-  
 ra negotii obstat, consensum nostrum interponere pos-  
 sumus ;

sumus; ita etiam acceptatio in donationibus per alios, ex interjecto tempore, & tacite fieri potest, præsertim cum hodie, ut supra jam monitum fuit, non solum in pactis & contractibus, tam nominatis quam innominatis, sed & in donationibus quibuscunque simplicitas illa juris naturalis primæva quasi per postliminium usu fortè restituta sit. conf. LAUTERB. *cir. loc. §. 8. & 9.*

§. VIII. Num & silentium donatarii ejusmodi signum sit, ex quo illius acceptatio colligi queat, controvertitur. Affirmativam latè defendit eamque in praxi receptam esse testatur MENOCH. *Lib. 3. presunt. 42.* quem sequuntur SCHILTER *Pr. Jur. Rom. ex 43. §. 24.* & Ddres communiter, quia tacens habeatur pro consentiente. BACHOVIVS *ad Treuler. vol. 1. disp. 6. ib. 1. lit. b.* & contrario negativam tenet, & taciturnitatem locò acceptationis non sufficere existimat; cum tacenti imputari possit, quòd voluntatem suam non declaraverit & quòd merito videatur repudiassè beneficium, quoniam hoc invito non obtrudatur. At ego quidem ex iis, quæ supra §. 3. dicta sunt, medium tenuisse, tutissimum credo, ita, ut tacentem habeam pro incerto consilii & dubitante, oblatum num accipere, an repudiare debeat; & nisi silentium illud aliæ prorsus circumstantiæ concomitentur, quæ tacentis mentem indicent, nihil ab eo actum esse arbitrò. Quocirca axioma illud: qui tacet consentire videtur, cum grano salis accipiendum & tum demum admittendum esse, reor, quando iste, de cujus præjudiciò agitur, sive præsens sive absens sit, post nactam rei notitiam non contradicit. *arg. L. 1. §. 2.*

B

Cod.

*Cod. de remiss. pignor. L. 18. ff. mandat. c. 43. de R. J. in 6to.*  
 Ratio, ni fallor, hæc est, quòd naturâ majori impetu feramur ad propellenda & avertenda à nobis damna, quàm ad acquirenda commoda, & quòd ille, qui præjudicium aliquod sibi imminere novit, nec tamen contradicit, ex ista omissione, tanquam ex facto negativo satis luculento, non possit non haberi pro consentiente & approbante. Quæ pro ratione instituti de regula sufficere poterunt. Aggredior nunc inspectionem de illius limitationibus ac exceptionibus, ubi pari brevitati audendum erit.

## SECT. II.

§. I.

**I**n exceptionum censu primum pono pollicitationem, in sensu latiori acceptam, ut votum etiam sub se contineat. Quòd pollicitatio species sit donationis ex his, quæ supra *Seç. I. §. 2.* dixi, nemo dubitare potest, sed qualem de jure naturali producat obligationem, illud meretur, ut investigetur. Certum autem est, & res ipsa indicat, perfectum aliquod jus ex illa nasci non posse, idque ob defectum acceptationis, sine qua quippe si fuerit, perfectum vinculum nunquam constituitur: illud tamen diffidendum non est, pollicitantem nihilominus aliquam ex principiis honestatis obligari, ne videlicet inconstantia notam incurrat, & apud alios levitatis opinionem de se excitet. *GROT. all. Tr. lib. 2. cap. II. §. 3.* Ad nostram ergo limitationum classem cætenus non pertinet: inquirendi enim sunt ejusmodi casus, ubi sine acceptatione jus perfectum oritur. Secus res

se

se habet ex jure civili; illo siquidem, quæ DEO vel reipublicæ promissa sunt, quanquam nudâ promittentis obligatione subsistant, vel ab invito ut exigantur constitutum est, *tot. tit. ff. de pollicir.* ita ut, cæteris paribus, etiam ad heredes ista obligatio transgrediatur. *L. i. ibid.*

§. II.

Quæ de votis in specie dici possent, in idem fere recidunt. Differunt à pollicitationibus in specie sic dictis, quod in his reipublicæ, in illis autem DEO vel ob DEUM, sive ex pietate, ecclesiæ similive societati quid promittatur. *conf. l. 2. ff. de pollicir.* Quod ad acceptationem & vim obligandi, utroque jure tam naturali quam civili nulla subest disparitas. Fingit equidem beatus TITIVS *Jur. priv. lib. 4. cap. 13. §. 6.* in votis accedere acceptationem ex parte DEI, utpote qui jussu illo universali, ut vota accurate perfolvantur, ea præcedentè in universum acceptaverit, hancque opinionem, accersitò in partes TERTVLLIANO *lib. de jejun. c. 11.* ubi votum, cum à DEO acceptatum est, legem in posterum per auctoritatem acceptatoris facere perhibet, approbat Cl. BOEHMER. *Jur. Prot. eccl. lib. 3. tit. 34. §. 14.* ut cum illis dicendum videatur, in votis ob intervenientem illam DEI acceptationem vinculum perfectum etiam de jure naturali statim colligari. Sed non mutò sententiam. DEO perfectum jus exinde nasci, facile equidem largior, perperam autem ex tali ficta acceptatione pro majori votorum validitate ad usum fori externi quid elicies. Sepositis namque legibus positivis, quibus ex civili ratione ob favorem cultus divini externi & platum, quas vocant, causarum jus demum perfe-

Etum votis superadditum est, certò certius habeo, vota non nisi in conscientia obligare, ac iustum illum generalem de persolvendis votis hominibus non magis jus aliquod exigendi transcribere, quàm cætera præcepta divina, quibus proximo varia humanitatis officia præstare jubemur. Objicies, temporibus veteris foederis tamen jus exigendi vota competiisse sacerdotibus. Non nego, sed pertinuerunt ea ad leges Judæorum particulares, quarum nexu nos Christiani soluti sumus.

§. III.

Sub denominatione reipublicæ verò comprehenduntur non tantum municipia: STRYK. *Us. mod. tit. de pollicit. §. 1.* Sed & aliæ universitates & collegia licita ex idenditate rationis; LAVTERB. *Coll. T. P. dist. tit. §. 4.* conf. BRVNNEM. *ad L. 4. Cod. quib. ex caus. maj. in integr. restit.* Et piis causis accensentur scholæ, aliæque pietatis Officinæ, Hospitalia, Xenodochia, Orphanotrophia, Brephotrophia, Nosocomia, Gerontocomia, Ædes, ubi milites senio vel vulneribus confecti sustentantur, si quid ad harum ædium extruccionem vel restaurationem nuncupetur; item quæ pauperibus, viduis, pupillis ac orphanis præcipuè ministrorum ecclesiæ scholarumque, vel aliis personis miserabilibus, quæ ad alimenta & redemptionem captivorum, vel alioquin oppressorum subsidia, quæ ad dotandas ac elocandas pauperes virgines, vel sublevandos egenos studiosos &c. voventur: conf. *Perill. de WERNH. Suppl. Nov. ad P. 1. Obs. 21. num. 17. seq.* ubi cumulum ejusmodi plurium ita dictarum piarum causarum, etiam illarum, quæ per-

perversè & per abusum in eundem censum referri solent, reperies.

§. IV.

Sed quid sentiendum de illa quæstione; num reipublicæ vel ecclesiæ aliisve ejusmodi causis etiam ignorantibus acquiratur donatio? Negat cum BARBOSA & TRENTACINQVIO BARDILI *Concl. Th. Pr. ex. 15. ib. 1.* quia ignoti nulla sit cupido & ignari nulla voluntas. Et rectè utique; licet dissentire videatur CARPZ. *L. 5. Resp. 62. n. 14.* conf. LAVTERB. *dicto Coll. tit. de donat. §. 8.* Sed nec CARPZOVIVM, si status quæstionis ritè formetur, dissentire puto. Si enim ita illam informes: num istiusmodi causis statim post factam pollicitationem etiam sine acceptatione jus perfectum quæsitum sit, ut promittens poenitere amplius nequeat, sine dubio affirmanda venit. Quâ ratione inter tantos viros pax optime conciliabitur. Nam sufficit equidem ad producendam obligationem perfectam nulla pollicitatio & vel ignorantibus jus accedit, attamen nec negari potest, quòd postmodum ex parte piæ vel publicæ causæ voluntas de accipiendo quâcunque ratione declarari debeat. conf. de COCCEJ. *Jur. controuv. tit. de pollic. quest. 1.*

§. V.

Alterum limitationis exemplum, ut ulterius procedam, offendimus in remissione jurium. Si quidem naturalem simplicitatem inspiciamus, illi maximè convenire, facile est ad intelligendum, ut & remissio illa, si remittentem perfecte nobis obstrictum velimus, acceptari debeat. Remissio namque vera est donatio juris

ris nostri, quò alterum nobis obligatum habuimus; quam ob rem rectè illi applicantur, quæ de donationum acceptatione hætenus dicta sunt. Sed, ut ut hæc sint, communis Ddrum opinio invaluit, à jure naturali jus civile eatenus discessisse, ut renunciationes seu remissiones jurium solâ remittentis voluntate perficiantur, nec in pactis remissoriis ullâ opus sit acceptatione, sed vel ignorantibus jus quæsitum liberationis ipsò jure accrescat. *Lex 47. ff. de Obl. & Act.* unde sententiæ hujus primarium colligitur subsidium, ita habet: *multum interest, quæras, utrum aliquis obligetur, an aliquis liberetur? ubi de obligando queritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad negandum. Ubi de liberando, ex diverso, ut facilius sis ad liberationem.* Num illatio, quam inde faciunt, satis sibi constat, valdè dubito. Possumus etenim liberationibus, ubi circa illarum interpretationem dubia emergunt, multis modis quidem favere, quòd autem ob textum hunc admodum vagum eò statim procedendum sit, ut vel substantialia pactorum, ab ipsa natura formata, subruamus, id est, quod negandum & pernegandum censeo. Verùm quis contra torrentem? Et quotidiana experientia edocemur, hòc nos jure uti. *STRYK. Us. Mod. ff. tit. de donat. §. 5. de BERGER. Oec. Jur. lib. 2. tit. 2. §. 28. Perill. de WERNHER. P. 8. Obs. 391.*

## §. VI.

Succedit jam successionum materia tam ab intestato quam ex ultimis voluntatibus, idque vel in re universa vel in particulari. Ex natura autem domini profluat facultas, de re nostra liberè disponendi, sive fiat pu-  
rè



rè siue sub conditione & certo modo, nec tantum irrevocabiliter, sed etiam revocabiliter, ut effectum habeat statim, vel ex tempore & certo die e. g. mortis nostræ. Qui alteri rem suam donat, ut pro lubitu revocare possit, & donatio demum ex die mortis suæ plenum effectum habere debeat, rectè dicitur testari, & hoc negotium de jure naturali subsistit absque omnibus solennitatibus, dummodò requisita substantialia, promissio & ex altera parte acceptatio accesserit. Erronea igitur est definitio testamenti, quam tradit GROTIUS *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 7. §. 14.* quòd sit alienatio in mortis eventum, ante eam revocabilis, retentò interim jure possidendi ac fruendi. Testator enim ipsum dominium suum, retentò tantum jure possidendi ac fruendi, ut Grotius fieri putat, transferre voluisse neutiquam censi potest. Nec sanè ulla cogit ratio, ut ejusmodi quid supponamus, cum ex supra dictis sit evidentissimum, quòd per pacta & promissiones dominium rei nostræ etiam ex eventu & certo tempore transferre valeamus. Sed quid dicendum de relicione bonorum nostrorum ab intestato? Et hic quoque tacitam quidem, veram tamen donationem subesse, confidenter assero. Ex quo namque in singulis fere civitatibus ex principiis æquitatis & honestatis, quòd nempe unus quisque præcipuè liberis prospicere, parentibus gratiam referre, cæterisque cognatis cognatum illum propinquis suis benevolendi affectum testamentum facere debeat, certus introductus est successionis ab intestato ordo, quem tamen, si legitimam juris civilis excipias, aliud disponendo mutare licet, non potest non de illo, qui ab intestato decedit, aliud capi judicium,

um, quàm quòd ex deliberato animo, cùm occupanti bona sua illum relinquere, vel materiam aliis bene faciendi perdere voluisse credendum non sit, illis hereditatem destinaverit, quibus, si inspicimus, quod est honestissimum, quod æquissimum, præ aliis debet, quos cognitos sibi habet maximè, & quos lex ac mos civitatis suæ vocat. conf. GROTIUS *vir. cap. 7.* ubi multa egregia in hanc rem largà manu collecta inveniendâ sunt. Facili autem negotiò ex jam dictis comprehendì potest, in ulteriori hac donationis specie acceptationem, cùm hominis voluntas ambulatoria sit usque ad extremum vitæ halitum, ac decumbens in agone adhuc expressè disponere queat, locum penitus non invenire, adedque heredi ab intestato, sepositò jure civili, jus perfectum acquiri nunquam. Sed quid dicendum, si & heres expressè designatus institutionem, ut plerumque fieri solevit, non acceptaverit, num nihilominus ille heredibus ab intestato præferri meretur? Et nullus plane dubito, quin affirmem. Quanquam enim neque hic, omisâ acceptatione, jus sibi acquisiverit perfectum, illud tamen differri nemo potest, jus heredum ab intestato, si alimenta liberorum nondum adultorum excipias, non nisi principiis honestatis inniri, adedque toties prorsus cessare, ubi de defuncti voluntate in diversum certa ac indubia prostant indicia. Verum, his missis, de jure civili cognitum habemus, juri illi heredum utriusque generis, sive acceptarint, sive minus, virtutem & efficaciam juris perfecti attributam esse, ita ut heres etiam ignoranti sibi delatæ hereditati se immiscere, vel, si extraneus sit, illam adire possit statim post defuncti mortem,

tem, quin imò legata & fideicommissa particularia ipso jure transeant in legatarios ac fideicommissarios. *L. 151. ff. de V. S. L. 21. ff. de acq. vel om. her. L. 77. §. 3. ff. de legar. & fideic. 2.* quin ab his etiam nondum agnita vel acquisita in hæredes transmittantur. **LAV-TERB. Coll. tit. quand. dies leg. §. 5.**

§. VII.

Demum sisto limitationumstrarum ultimam ex jure civili, quam nobis suppeditat donatio inter vivos in donatarium hoc cum onere collata, ut alteri substituto postmodum restituatur. Nec huic substituto ullâ acceptatione opus esse, clarè evincitur per *L. 3. Cod. de donat. quæ sub mod.* Juvat textum ipsum hic inferere, qui ita habet: *quoties donatio ita conficitur, ut post tempus id, quod donatum est, alii restituatur, veteris juris autoritate rescriptum est, si is, in quem liberalitatis compendium conferebatur, stipulatus non sit, placiti fide non impleta, ei, qui liberalitatis auctor fuit, vel heredibus ejus condictionis actionis persecutionem competere.* Sed cum postea benignâ juris interpretatione divi principes ei, qui stipulatus non sit, utilem actionem competere admiserint, actio, quæ sorori tuæ, si in rebus humanis ageret, competeat, tibi accommodabitur. Legis nostræ, si non omnia me fallunt, brevis paraphrasis hæc est: Veteri jure, si is, cui quid donatum fuit, ut id post aliquod tempus alii restitueret, fidem non impleverit, donatario substituto, nisi expressâ stipulatio intercefferit, nullam prorsus actionem competiisse, sed tantummodò donatorem &

C

ipsum

ipsius heredes actionem seu conditionem contra donatarium illum perfidum habuisse: postea autem Imperatores ex benignâ juris interpretatione illi, cui ex voluntate donatoris restitutio fieri debebat, licet stipulatus non fuerit, utilem actionem concessisse, ut quam intendere potuisset ipse donator, utiliter substituto nostro donatario applicetur. Rectè ergo se habet inscriptio BALDI, quam legi nostræ in capite præfixit: ex pacto celebrato inter donantem & donatarium acquiritur utilis actio sequenti secundo donatario sine aliqua cessione. Lex etenim luculentissimè suppeditat, quamvis negotium inter donatorem solum & donatarium priorem celebratum fuerit, nihilominus secundo illi donatario actionem, quæ ipsi donatori competeret, utilem accommodari ipso jure & sola benigna juris interpretatione. Beatus BRUNNEMANNVS ad hanc legem casum ita format: donavi tibi prædium hac conditione, ut possideas 10. annos & his elapsis, restituas Titio. Quæritur ergo: quomodo possis compelli ad dandum prædium post 10. annos? Respondetur: ego quidem, si non stes promissis, habeo conditionem ob causam, causa non secuta: *L. 2. Cod. de condit. ob caus. dat.* ad id, ut prædium mihi restituas. Sed quæritur: ane etiam Titius habeat actionem? videtur, quod non, ob regulam in *§. si quis alteri. Inst. de inutil. stipul.* sed affirmandum, quia hic in donationibus speciale est, ut quis per donationem etiam alteri providere possit. Et CARPZOV. *P. 3. Const. 8. def. 22.* rem ita expedit: Speciale hoc est in donationibus,

nibus, ut alteri per alterum actio quæatur, utilis nempe, qua post mortem donatarii (addendum: vel elapso tempore) substitutis rem petere licet. Rationes autem, quibus Imperatores ad benignam hanc interpretationem moti fuerunt, non possunt esse aliæ, quam quod quilibet liber rerum suarum sit moderator & arbiter, ac liberalitati suæ leges & condiciones imponere queat, quas modocunque lubet: easque, si donatarius non impleat, donatoris voluntati contra ingrati injuriam quibuslibet remediis vel extra ordinem succurrendum sit, uti in lege nostra plane singulari jam factum esse videmus. Cæterum qualis actio substituto nostro competat, nullo utique premitur dubio. Utilis nempe, quæ donatori directe competet, ipsi applicata est actio; unde, quoties donator in casum non adimpleti modi rei donatæ dominium sibi reservasset, vel rei vindicationem stipulatus esset, neque rei vindicatio secundo huic donatario deneganda foret. Ut plurimum autem impertiuntur ipsi tantum utilem conditionem causa datâ, causa non secuta, vel conditionem ex moribus & lege nostra 3. *Cod. de donat. quæ sub mod.* ut contra illos, qui realem illi actionem sine distinctione vindicare intendunt, rectius sustinent BRUNNEM. *cit. loc.* ab eoque excitati COVARR. FACHIN. VINC. DE FRANCH. GUIDO PAPÆ.

§. VIII. *de fideicommissis*

Amplius ex hac lege conficiunt, idque pronâ consequentiâ, etiam per pacta constitui posse fideicommissa

missa tam universalia, quam particularia; BRVNN. *all. loc.* CARPZ. *dict. loc.* KLOCK. *Vol. 2. Conf. 17. num. 7.* RICHTER. *dec. 26. n. 30.* MENOCH. *Conf. 115. n. 12.* de BERGER. *Oec. Fur. lib. 2. tit. 4. §. 33. not. 5. C. P. 1. Resp. 224. arg. 3.* STRYK. *de Success. ab intest. diff. 7. cap. 1. §. 6. diff. 8. cap. 9. §. 6. 11. 15.* BOEHM. *Tom. 2. P. 2. Resp. 810. num. 33.* KNIPSCHILD. *de fideic. fam. nobil. cap. 6. num. 25. L. B. de* LYNCKER. *in annal. ad ff. pag. 345.* Vel licet quidem LYNCKERVM aliosque qui fideicommissa pactitia, praesertim & universalia à jure Romano non abhorrere autumant, Celeberrimus Dnus LEYSERY'S *Spec. 402. medit. 1. C. 2. & in L. ult. Cod. de reb. alien. non alienand.* vestigium fideicommissi universalis non inveniri, contendit; sed tanti Viri pace dixerim, obstare ipsi legem nostram evidentissimam, quæ licet fideicommissi universalis exemplum expressè non complectatur, nec tamen etiam distinguit inter donationem omnium bonorum & rei alicujus singularis, ut illo casu restitutio secundo donatario minus fieri debeat, quam in casu donationis rei singularis. Fatendum interim fuit ipsi Viro JCtissimo, quicquid sit de jure Romano, usum fori ut alia pacta hereditaria, sic & fideicommissa tam universalia, quam particularia sine omni dubio approbasse. Et hoc etiam multifaria apud allatos auctores extantia praëjudicia satis superque confirmant, ut, si plura in re tam aperta addere vellem, operam perditurus essem.

§. IX. Restat igitur, ut ad liberandam fidem, coronidis loco

loco annectam casum ejusmodi donationis seu fidei-  
 commissi particularis ex pacto, qui meditationis hujus  
 ansam præbuit. Factum autem ita comparatum est:  
 Nobilis quædam virgo ex admodum illustri familia o-  
 riunda donat inter vivos sororis consanguineæ ac uni  
 lateralis binis filiis mille florenos ad redhibendam gra-  
 tiam pro exhibita sibi benevolentia, his cum conditio-  
 nibus & sub hoc modo, ut, quanquam donatariis in  
 ipso donationis actu donatam summam quoad domi-  
 nium ac possessionem statim cederet, tamen illam a-  
 pud securum debitorem fœnori exponendam esse, con-  
 stitueret, & tum in vivis ageret, perceptionem annua-  
 rum inde redeuntium usurarum sibi reservaret, additâ  
 hac substitutione expressa, ut, si alteruter donatariorum  
 improles decederet, ipsius rata alteri superstiti acce-  
 scere, ac si & iste sine liberis defungeretur, donatum  
 æs proximis donatricis cognatis, *ihren nächsten Anver-  
 wandten und Freunden*, exolvi & restitui deberet. Ac-  
 ceptat soror filiorum minorennium loco donationem,  
 & instrumentum desuper confectum ad confirman-  
 dum exhibetur Ordini Equestri immediati pagi Banna-  
 census, qui petitis annuit. Defuncto jam interjecto  
 aliquo temporis intervallo donatariorum altero, dona-  
 trix condit testamentum & ultimo elogio inserit ver-  
 ba: *Vierens habe ich meinen Herrn Vetzern E. A. dort-  
 hin eine besondere Donation gethan, welche ich bieber wie-  
 derholen, nochmals confirmiren und durchaus haben will, das  
 ihm nicht das mindeste, es geschehe, unter was für Pretext  
 es immer wolle, dießfalls in Weg geleyet werde.* Moritur

postea donatrix & sequitur illam aliquo tempore post in mortalitate donatariorum sequior. In vivis tum erant donatricis frater unicus germanus ex duplici & ab altero tantum latere conjuncti frater consanguineus & nonnullæ sorores, & has inter donatariorum mater. Quis horum è numero donatricis proximus fuerit cognatus, neminem dubitare sinunt verba *Nov. 118. c. 3.* si defunctus neque descendentes neque ascendentes reliquerit, primos ad hereditatem vocamus fratres & sorores ex eodem patre & ex eadem matre natos. His autem non existentibus in secundo ordine illos fratres ad hæreditatem vocamus, qui ex uno parente conjuncti sunt, sive per patrem solum, sive per matrem. Sed donatariorum defunctorum mater donationem siliuit & usuras usque ad vitæ finem ex fœnori elocata summa percepit. Tandem non solum fratre donatricis germano defuncto, sed etiam donatariorum matre è vita egressa, germani fratris filius resciscit donationem, inspectis illius tabulis, & ab heredibus istius matris tam restitutionem donatorum mille florenorum, quam usurarum ex tempore mortis ultimi donatariorum ab illa sine causa perceptarum.

## S. X.

Obtundunt, equidem heredes isti, subesse hic donationem, & quia ex parte substitutorum ulteriorum donatariorum nulla accesserit acceptatio, illorum intuitu donationem ob defectum hujus substantialis esse nullam. Verum his respondetur ex iis, quæ latius dicta



dicta sunt §. 7. in hoc fideicommitto pactio acceptationem necessariam non fuisse, sed fratri germano donationem etiam ignorantem ex die mortis ultimi defuncti donatarii ipso jure delatam ab eoque in filiam transmissam esse *arg. L. 5. pr. ff. L. 3. Cod. quando dies leg. vel fideic. ced.* Obijciunt porro donatricem in subsecuto testamento soli sororis consanguineæ filio donationem confirmasse, absque ulla injecta mentione substitutionis illius pristinae, adeoque voluntatem mutasse: at reponitur, relatum inesse referenti, & quoties relatio fiat ad actum antecedentem, toties repetitas censeri omnes conditiones & qualitates priori actui annexas. *arg. L. 77. ff. de her. inst. MEV. P. 6. dec. 50. n. 2. GROT. de F. B. & P. lib. 3. cap. 20. §. 24.* nec mutationem praesumi, sed probandam esse, ex testamenti verbis autem de illa minime apparere sed decisionem hujus litis relinquo judici, & si quid minus accurate dictum fuerit benevoli lectoris meliori judicio.



100

dicta sunt a 7. in hoc testamentum habito accedens  
 tionem necessarium non tulle sed tunc germano de  
 rationem etiam ignorandi ex die mortis aliquid de  
 est debeat ipso iure debeat ab eorum in filium  
 testamentum esse ut. l. 7. ff. de test. causa. l. 1.  
 et rel. h. de test. l. 1. ff. de test. causa. l. 1.  
 secundo testamento tolli totum contingens filio de  
 tionem continentem respectu illa infecta ratione sub  
 functionis in partem adque voluntatem matris  
 se: et reponitur restant inchoe testamenti & quod  
 restat hinc ad actum ante deum totum reponitur  
 secum omnes conditiones de quibus prior actum an  
 heres. cap. l. 7. ff. de test. causa. l. 1. ff. de test. causa. l. 1.  
 GROT. de test. l. 1. ff. de test. causa. l. 1. ff. de test. causa. l. 1.  
 item probatur sed probandum esse ex testamentum et  
 his iuris de his animis apparet sed deest enim in  
 his iuris restatque iudici & si quid minus accedat  
 et dicitur hinc benevoli testatoris nec  
 hinc iudicio.



+

94 A 7372

ULB Halle

001 681 94X

3







B.I.G.

Farbkarte #13

G. 7

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA  
DE  
QVÆSTIONE JVRIS:  
AN ET QVATENVS  
ACCEPTATIO NECESSARIA  
SIT IN DONATIO-  
NIBVS?

QVAM  
IN PERANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI  
EX CONSENSV ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS,  
PRÆSIDE  
DN. HIERONYMO FRIDERICO  
SCHORCHIO, JCTO,

COM. PALAT. CÆSAR. JVRID. FACVLT. ASSESS. ET H. T. DECANO,  
INSTITVT. PROF. PVBL. ORDIN. NEC NON CIVITAT.  
CONSULE,

PRO CONSEQVENDIS PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS,  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTET  
AVTOR  
JO. GEORG. FRANCKENBERGERVS,  
SVEVOFVRTENSIS.

IN AVDITORIO JVRIDICO COLLEGII MAJORIS H. C.  
DIE XIX. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCXLI

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

